

ad bonum prolis, etiam per intentionem mente retentam, invalidum sit matrimonium, ex defectu consensus, qui est de substantia contractus. Securus in 4. d. 31. q. unic. §. Ad questionem, lit. A. & E. Vide num. 4249.

3960. Si verò quis, dum matrimonium contraxit, habuit intentionem, saltem implicitam se obligandi ad præfata tria bona, sed simul habuit animum talem promissionem, & obligationem non servandi, mortaliter peccavit, sed validum est matrimonium. Exemplum: Puella parturientium doloribus exterrita, quando matrimonium contraxit, habuit saltem implicitè animum se obligandi ad bonum prolis, sed simul habuit intentionem hujusmodi obligationem non exequendi, sed impediendi, & in effectû studiosè sumpsit medicinam sterilitatis inductivam, peccavit quidem, sed validum est matrimonium. Securus cit. & dist. 30. q. 2. art. 1. D. Bonavent. in 4. d. 31. art. 1. q. 3. D. Thomas in 4. d. 31. q. 1. art. 5. Tancr. tom. 1. lib. 2. dist. 29. à n. 3. ad 7. Tamb. lib. 8. de Matrim. tract. 4. cap. 2. §. 3. & cap. 5. §. 8. Busemb. lib. 6. tract. 6. cap. 2. dub. 1. num. 5. & com.

3961. Ratio est, quia intentio se obligandi ad substantialia contractus, se tenet ex parte actus primi, & inde est de essentia contractus; intentio verò obligationem exequendi, sicut, & ipsa executio, se tenet ex parte actus secundi, actus autem secundus accidit actui primo, & ideo ejus defectus non tollit, sed stat cum substantia contractus, ut in simili dixi de juramento, & voto, num. 1561.

3962. Hac ratione plures Sancti validum matrimonium inerunt, & illibatam castitatem servaverunt, quoniam mutuum dominium corporum separari potest ab usu, pro quo omninò lege Securus in 4. d. 30. q. 2. lit. D. ubi satis doctè ostendit, quo pacto validum fuerit Matrimonium B. Virginis cum S. Joseph, & inviolatum castitatis votum remanserit.

CAPUT III.

DE CONSENSU CONDITIONATO.

3963. **C**ertum est ex dictis, condiciones contra tria bona matrimonii irritare matrimonium; quia destruant ejus substantiam, sine qua consistere non potest.

Unde invalidum est matrimonium. 1. Sub hac conditione: *Contraho tecum, donec aliam pulchriorem reperiam;* quia est contra bonum Sacramenti. 2. *Contraho tecum, si te adulterandam tradideris;* quia est contra bonum fidei. 3. *Contraho tecum, si vitabis generare, vel educare prolem;* quia est contra bonum prolis. Clericatus cap. 142. num. 16. Adeoque sermo est de aliis conditionibus. Pro quibus,

3964. Matrimonium contractum sub conditione de præfati, vel præterito, *tecum contraho, si prædium, quod mihi dixisti, habes: si officium à Rege habuisti,* non suspendit consensum quia vel ita est,

vel non est; si ita est, contractus est validus, si non, invalidus. Item non suspendit consensum conditio de futuro necessario, v. gr. *Te duco, si eras sol orietur,* vel de futuro contingenti certè futuro, v. gr. *Si Anti-Christus nasceretur,* quia æquivalet necessario.

3965. Validum est matrimonium contractum sub conditione de futuro contingenti turpi, quæ non sit contra substantiam, seu tria bona matrimonii; v. gr. *Duco te, si prædium alienum, quod invito dominis detines, non restitueris.* Vel sub conditione impossibili, quia hæc conditiones habentur pro non adjectis, ex cap. final. de Condit. appof.

3966. Matrimonium ininitum sub conditione de futuro contingenti honesto; v. gr. *Te duco, si tuus pater consenserit, dotaverit, &c.* est validum, posita conditione. Sed conditione purificata, probabilis est, quod requiratur novus consensus absolutus coram Parocho; quia prior, licet fuerit per verba de præfati, cum fuerit conditionatus, fuit imperfectus, ac proinde habet rationem sponsalium. Ita Tamb. tom. 2. pag. 144. num. 5. cum Diana contra Sanchez, Lugo, & alios, qui non requirunt novum consensum, ac proinde tenent, quod prior consensus conditionatus fieri debeat coram Parocho, & testibus, quia habet rationem matrimonii. Vide num. 3055.

3967. Hæc tamen sint dicta pro intelligentia valoris matrimonii; cæterum in praxi nullo pacto conditiones sunt à Parocho permitteadæ; quod si aliqua sit conditio purificanda, expectare faciat, & ea purificata, per consensum absolutum contrahant.

CAPUT IV.

DE SOLEMNITAT. MATRIMONII.

3968. **S**olemmitates matrimonii, aliæ sunt substantiales, sine quibus invalidum redditur matrimonium; talis ex jure Trid. est præfentia Parochi, & duorum testium. Aliæ accidentales, sine quibus validum est, sed illicitum matrimonium, tales sunt Denunciations, & Benedictio.

DENUNCIATIONES

3969. **F**aciendæ sunt à Parocho, vel ab alio de commissione Parochi, in Parochia utriusque contrahentis, tribus diebus festivis, sed non immediatis, puta tribus Dominicis, posse tamen tribus diebus festivis immediatis, v. gr. tribus Festis Paschatis, tenent plures, sed praxis est de mediatis.

3970. Possunt fieri intra Missarum solemnias, vel tempore concionis, aut alio tempore.

3971. Denunciations obligationem sub mortali inducunt, ut qui scit impedimentum aliquod tenetur illud revelare, etiam si sciat sub secreto naturali, aut sit occultum, ut in tom. 2. num. 61. excepto secreto Sacramentali.

3972. Qui post factas denunciations, intra qua-

quatuor menses matrimonium non contraxit, non potest contrahere, nisi novas denunciations præmittat arbitrio Episcopi. Ex declar. Card. Fenech. de Debito; quia intra tam longum tempus, potuit impedimentum aliquod, maximè affinitatis, de novo contrahi.

3973. Denunciations omittit sine dispensatione Episcopi est mortale, nisi omitatur sola tertia denunciatio, in casu, quod nullum sit periculum.

3974. Causæ, ob quas possunt Ordinarii dispensare, ad duo genera reducuntur. 1. Si adit probabilis suspicio, ne matrimonium malitiosè impediat. ex Trid. sess. 24. cap. 1. de Reform. 2. Si imminet grave periculum animæ, corporis, vel famæ ipsorum contrahentium. Clericatus cap. 144. num. 4. qui subdit:

(In specie autem à Canonistis solent notari sequentes causæ; videlicet: Primò: Inæqualitas contrahentium, ubi nobilis ducit ignobilem; dives pauperem; fenex juvenem. 2. Si concubiniarius in articulo mortis velit in uxorem ducere concubinam ad legitimandam prolem, quo casu solus Parochus dispensare potest, si tempus non permittat accessum ad Episcopum, vel Vicarium. Tertio: Si puella sit sub tutore, qui malitiosè differat ejus matrimonium. Quarto: Si puella desolata fuerit à sponso, quem timor sit, si differat, eam amplius non esse ducturum. Quintò: Si imminet tempus adventus, vel Quadragesimæ, dummodò malitiosè ei approximatum non extiterit. Sextò: Si matrimonium contrahendum sit inter Magnates, de quorum nullo impedimento satis manifestè constat.)

3975. Quando autem Ordinarius denunciations dispensat, debet examinare extrajudicialiter duos testes.

3976. Ad impediendum matrimonium sufficit unus testis, etiam ex auditu, qui impedimentum, aut ejus suspensionem denunciat: debet tamen testimonium esse juratum quamvis secretum; & tunc Ordinarius debet supersedere, & interim debitas diligencias pro veritate adhibere.

BENEDICTIO SACRAMENTALIS

3977. **S**uscipitur à sponsis post primum matrimonium ratum, ante consummationem.

Eam omittit sine causa, per se non est mortale, sed veniale, seculo contemptu. Clericatus cit. cum com. quia benedictio est quid solùm Sacramentale, nec de ejus obligatione constat.

In secundis nuptiis non suscipitur benedictio, si unus ex sponsis benedictionem susceperat. Sed rectè addit Clericatus servandam esse consuetudinem.

3978. Tempore Adventus, Quadragesimæ, & interdicti localis generalis conjuges non sunt benedicendi. Vide num. 4409.

3979. Denique Trident. sess. 24. cap. 1. decer-

nit (Quod si quis Parochus, vel alijs Sacerdos, si-ve Regularis, si-ve Sæcularis sit, etiam si id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponso sine illorum Parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit; ipso jure tandiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.)

Unde à dicta suspensione non potest nisi ab Episcopo absolvi.

Si Sacerdos de licentia Parochi alienum Parochianum benedicat, aut ejus matrimonio assintat, ipse Sacerdos, & non Parochus, suspensionem incurrit. Clericatus cap. 123. num. 154. quia Concil. Trid. in assintentem suspensionem infligit.

CAPUT V.

DE IMPEDIMENT. MATRIMONII.

3980. **I**mpedimenta sunt duplicis generis; videlicet, *impedientia tantum, & dirimentia.* Priora matrimonium illicitum reddunt, non invalidum. Posteriora verò illicitum, & invalidum.

IMPEDIENTIA SEX.

3681. **E**cclæsiæ vetitum, necnon tempus feriæ,

Atque catechismus, crimen, sponsalia, votum, Impediunt fieri, permittunt salta teneri.

1. *Ecclesiæ vetitum est prohibito Episcopi, aut Parochi. 2. Tempus feriatarum, de quo in num. 2927. 3. Catechismus.* Jure antiquo inter baptizandum, & cum tenentem, seu pro eo respondentem in instructione fidei ante januam Ecclesiæ, oriebatur cognatio quadam spiritalis imperfecta, sed hodie hoc impedimentum est sublatum per Trid. sess. 24. cap.

2. Vide num. 3003.

4. *Sponsalia contracta cum una impediunt matrimonium cum alia, nisi prius ritè sint dissoluta.*

5. *Votum simplex castitatis impedit matrimonium; & qui cum eo contrahit peccat, & impeditur à petitione debiti, ut infra à num. 4264. de Imped. actus conjugalibus ex voto. Et licet dispensetur ad petendum debitum, mortuo uxore, semper remanet allatum impedimentum in ordine ad aliam, nam votum per subsequens matrimonium suspenditur, at non extinguitur.*

6. *Crimen: crimina impedientia sunt septem, Incestus, raptus sponse, mors mulieris, Susceptio propria solubilis, mors presbyteralis, Vel si penitent solmitter, aut Moniam Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.*

Incestus cum consanguineis conjugis, aut cum propriis, non solum contrahunt impedimentum dirimens cum illis personis, erga quas orta est affinitas ex copulâ, sed etiam (si incestus sit publicus) in

penam impediuntur nubere cum omni alia persona mundi: sic *Rapiens* sponsam alienam, nec cum ea, nec cum alia licite contrahere potest. *Occidens propriam uxorem*, impeditur ducere aliam. *Suscipiens in Baptismo, aut Confirmatione propriam prolem*, malo animo ad finem contrahendi cognationem spirituales cum propria uxore, & sic eam privandi jure petendi debitum, in penam, mortua uxore, non potest licite aliam ducere. *Homicida Sacerdotis* in foro contentioso convictus impeditur à nubendo. *Penitentia publica* impedit, dum durat. *Qui scienter, cum Moniali professâ matrimonium contrahit*, nedum invalidè cum ea contrahit, sed etiam in penam delicti impeditur à nubendo cum omni alia muliere.

3982. At hac impedimenta criminum potest Episcopus dispensare. At communis opinio est, ea esse per non usum sublata, ac proinde dispensatione non indigere, nec cum iis contrahentes peccare mortaliter. *Busemb. lib. 6. tract. 6. cap. 3. dub. 1. Leander de Matrim. tract. 9. disp. 23. §. 12. quest. 2. Sanchez, Coninch. & alii, apud Matrium disp. 25. q. 5. art. 1.*

3983. Quoad quatuor impedimenta, quæ hodie sunt in usu,

Vetitum, tempus feriarum, sponsalia, votum.

Potest Episcopus dispensare in 1. Si prohibitio sit ab ipso, aut Parocho sibi inferiori, & in 2. modo dicto in num. 2937. Non potest in sponsalibus, quia esset in prejudicium alterius sponsi. Nec in voto absoluto, & perfecto Castitatis, aut Religionis, quia est reservatum Pontifici.

QUÆRES I:

3984. Puella vovit Religionem, & virginitatem, at ob defectum dotis Monasterium non reperit: An possit nubere?

R Esp. vel vovit virginitatem, seu castitatem dependentem à Religione, vel independentem? Si independentem; non potest nubere, sed tenetur ad castitatem: si dependentem; potest nubere, & tunc non tenetur ad castitatem; hujusmodi est. 1. Si vovit Religionem, ut facilis castitatem servaret. 2. Si ita vovit castitatem, ut illam non vovisset, si non sperasset se recipendam in Religionem, & ibi perseveraturam; tunc inquam, cadente voto Religionis, cadit votum castitatis.

3985. In dubio an votum castitatis sit dependens à voto Religionis, standum est pro libertate, quod sit dependens; juxta dicta de Voto, num. 1902. Gobat tom. 3. de Voto, num. 304.

QUÆRES II:

3986. Juvenis vehementer carne vexatus, & frequenter cadens, quamvis advertent nuptias sibi utiles, votum castitatis emisit, quod sapè violat. An hoc votum sit validum?

C Asium proponit Gobat tom. 3. de Voto, à num. 208.

Esse invalidum tenent Bonac. tom. 1. disp. 4. q. 2. p. 1. num. 26. Gobat cit. & apud ipsum Ledesma, Homobonus, Trullench, & alii nonnulli. Idem dicunt de voto Religionis, non nubendi, &c. quia in his circumstantiis votum non est de meliori bono.

Hanc opinionem firmare conatur Gobat aliis duobus casibus.

PRIMUS:

3987. An conjugatus impeditur ad petitionem debiti ob votum, aut incestum, aut cognationem spirituales, possit petere, quoties vehementibus carnis stimulis agitur, ne exponatur periculo labendi in peccata luxuria?

AD quod licet communior sententia neget; affirmat *Quintanañenas*; quia sicut votum, sic ejus observatio esse debet de meliori bono: unde licet in principio fuerit validum, cessat obligare, quoties observatio non est de meliori bono; & lex humana, nec est crudelis, nec est vinculum iniquitatis; unde tunc, nec lex, nec votum obligat; quia observatio voti est cum periculo proximo labendi in peccata luxuriæ ab intrinseco malo, non observatio verò, videlicet petiti debiti, non est ab intrinseco mala, sed ab extrinseco ex voto, aut lege humana; adeoque tunc observatio non est de meliori bono, sed è contra.

3988. Tum quia conjux (ait Gobat) impeditur voto castitatis, aut incestu cum consanguinea suæ uxoris licite petit ab hac debitum, quando videt periculum incontinentiæ illius; ita quando videt proprium. Quam sententiam tenet *Quintanañ.* etiam si facilliter dispensatio obtineri possit; quia fundatur in hoc quod tunc cessat obligare lex, aut votum.

3989. Cæterum hæc sententia non est practica, nisi in casu, quo non possit tunc dispensatio ad petendum obtineri, & periculum sit in mora, tunc solum habere potest locum epikeia.

SECUNDUS:

3990. An conjugatus possit vivere, se non petiturum debitum, & posse concumbere in eodem lecto?

R Esp. dicit Stephan. à S. Paulo, & Franc. Bonæ Spei, apud Gobat cit. Tale votum velere solum pro ea parte, quæ vovens potest licite vitare occasiones proximas illud infringentes, nam qui vovit unum, vovit virtualiter alterum, utpotè ab eo inseparabile; unde si ille cognoscat cubitum in eodem lecto esse sibi periculum proximum labendi in peccata luxuriæ, si non petat, & non posse licite non concumbere, quia conjux non consentit, sed vult concumbere, tunc votum pro ea parte est nullum, sicut votum de non concumbendo; adeoque tunc votum de non petendo debitum non obligat; quia à debiti petitione sine peccato abstinere non possit: tunc namque, vel deberet negare cubitum in eodem lecto, quem sine peccato negare non potest, conjuge illum volente; sicut sine peccato redditionem debiti negare non potest, conjuge illam volente: vel deberet concum-

be.

I. ERROR

3997. **E**ST duplex. In substantia persona, & in qualitate persona. In substantia persona, cum quis putans ducere unam, ducat aliam, v. gr. putans ducere Catharinam, ducat Rosaliam. In qualitate persona, cum quis ducit eam personam, quam putat, sed non sub ea qualitate, quam eam putat habere: v. gr. putans ducere Catharinam virginem, pulchram, divitem, &c. ducat Catharinam non virginem, deformem, pauperem, &c.

3998. Uterque error potest esse antecedens, aut concomitans. Antecedens est ille, qui dat causam contractui, ita ut, eo non habito, contractus non fieret. Concomitans est ille, qui conjungitur cum contractu; videlicet habetur quando fit contractus, sed non est causa ejus, ita ut, si error non esset, adhuc contractus fieret. Vide tom. 2. à num. 475.

3999. Error in substantia persona, sive antecedens, sive concomitans, invincibilis, aut vincibilis, jure naturæ dirimit matrimonium, quia auferit consensum circa rationem substantialem per se requisitam ad matrimonium, tollit etiam voluntarium, & libertatem; cum nihil voluit, quin præconiunxit.

4000. Error in qualitate persona, sive antecedens, sive concomitans (qualitate servitutis excepta) non dirimit matrimonium; quia non facit illud involuntarium simpliciter, sed solum secundum quid ratione qualitatis, quæ per accidens se habet ad essentiam matrimonii, cujus per se objectum, & materia est substantia corporis, seu personæ, quæ mutuo traditur.

4001. In duplici autem casu error qualitatis potest esse per accidens dirimens. 1. Si qualitas, in qua erratur, fuit apposita in contractu per modum conditionis; v. gr. *duco te, si es virgo*; tunc enim matrimonium est nullum ex defectu consensu, quia consensus non fuit absolutus circa personam, sed conditionatus. Vide num. 3964. 2. Quando error qualitatis redundat in errorem personæ; quod tunc evenit, quando qualitas, in qua erratur, est talis, ut designet individuum personam.

4002. Exemplum: Petrus videns duas sorores, unam indutam veste alba, alteram rubra, intendit, & convenit cum earum patre ducere illam, quam vidit tunc indutam veste alba: Pater autem, quando faciendus est contractus, substituit alteram, eam induendo veste alba, cum quo errore Petrus cum ea contrahit; tunc matrimonium est invalidum, quia qualitas illa, in qua errat, itante circumstantia, qua Petrus videns duas, elegit unam, per eam qualitatem designatam, refunditur in substantiam personæ.

4003. E contra: Petrus videns determinatam puellam, audiens eam esse filiam Pauli nobilis, cum sit Joannis ignobilis, cum eo errore contrahit; tunc matrimonium est validum; quia qualitas, in qua erratur, non redundat in substantiam personæ; quoniam revera contraxit cum determinata persona, cum qua intendebat contrahere.

Re-

bere, & sic se exponere periculo proximo labendi in peccata luxuriæ; quod pariter sine peccato facere non possit.

Ita fere discurrunt.

QUOAD CASUM AUTEM PRINCIPALEM de Juvene,

3991. **C**ommunior sententia docet, votum castitatis, Religionis, non nubendi, ab eo sub altis circumstantiis emissum esse validum. Leander de Voto, tract. 1. disp. 13. quest. 6. Suarez, & alii; quia vota illa difficultas provenit ex sola dispositione subiecti, cooperante libera voluntate ejus, minimè ex parte materie voti; fidelis autem Deus est (ait Apostolus ad Cor. 10.) qui non patietur, vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Et eidem Apostolo roganti à vehementibus stimulis carnis liberari, non indulsit Deus, sed respondit 2. ad Cor. 12. Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.

3992. Quod si ita non esset, nulla esset professio emissæ ab eo, qui erat tentationibus vehementer vexatus. Et obligare desineret, si talis vexatio de novo contingeret Religioſo ita disposito, ut sub ea professione non emittisset; & sic spoliarentur Religiosorum claustra, quod nemo dicit.

3993. Talis igitur difficultas dat causam ad dispensationem petendam.

3994. Gobat autem addit, aliam opinionem non esse sperendam; & propterea (ait) si juveni illi offerretur matrimonium, quod recusare non possit sine prudenti timore se aliud aptum brevi non reperiturum, illud non denegarem sine dispensatione, dummodo contraheret cum animo illam quam primum petendi, saltim ad cautelam. Ita Gobat cit.

IMPEDIMENTA DIRIMENTIA,

3995. **A**nte Trident. erant duodecim, Trident. addidit alia duo, & sunt *Raptus & absentia Parochi, & duorum testium*; adeoque modo sunt quatuordecim, his expressa verbis:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, Si sis affinis, si forte coire nequibus, Si Parochi, & duplicitas deſite presentia testis, Raprave ſit mulier, nec parti reddita tuta. Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.
Vide num. 2358.

3996. Quinque sunt inducta jure naturæ, & sunt: *Error, impotentia perpetua, consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, puta matris cum filio, patris cum filia, vis, & ligamen*, quæ sunt indispensabilia, & locum habent in matrimonii infidelium. Reliqua sunt inducta jure Ecclesiastico, adeoque sunt dispensabilia à Summo Pontifice, & locum non habent in matrimoniis infidelium; quia jurisdictioni Ecclesiæ, & ejusque legibus non subiciuntur. Vide de Imped. Cognat. num. 4042.

Resolvuntur casus.

QUÆRES I:

4004. Petrus petiit à Paulo suam tertiam filiam, quam audivit esse pulchram; Paulus id recusavit, dicens daturum primogenitam, cui prius nubere conveniebat; hinc Petrus requisivit, ut eam ostenderet cuidam suo familiari fidedigno, qui de ejus pulchritudine referret: Paulus dicto familiari ostendit non primogenitam deformem, sed secundam pulchram, & facta relatione de pulchritudine, Petrus artificio Pauli sub vesperinis horis, ad lumen candela, contraxit per verba de presentis cum primogenita, quam Paulus obtulit, sed non ostendit. An Matr. sit validum?

R Esp. Matrimonium esse invalidum. Tamb. lib. 8. de Matr. tract. 1. cap. 2. §. 2. num. contra Sanchez; quia error redundat in substantiam personæ: nam Petrus occasione pulchritudinis relatæ ab amico, suam intentionem, & consensum determinavit, non ad personam, quam obtulit pater, sed ad personam, quam vidit amicus.

QUÆRES II:

4005. Paulus habens duas filias, obtulit unam Petro, cui volentem videre pulchritudinem, ostendit filiam pulchram, at Petrus non advertens ad eam, quam vidit, vel quia per procuratorem, vel quia ad lumen candela, contraxit cum alia, quam non vidit. An Matr. sit validum?

R Esp. Matrimonium esse invalidum, eadem ratione.

Contra Tancr. de Matr. lib. 7. disp. 18. num. 18. qui distinguit.

4006. Si verò Petrus petiit à Paulo primogenitam, & Paulus Petro pulchritudinem videre volenti, ostendit aliam pulchram, tunc matrimonium cum primogenita est validum, quia jam consensus in personam. Vide discrimen inter hos casus primogenitæ oblatæ, & petita. In primo enim Petrus vult personam pulchram, quam ex errore putat primogenitam, & ita contrahendo cum primogenita, errat in persona. In secundo vult personam primogenitam, quam ex errore putat pulchram, & ita contrahendo cum primogenita, non errat in persona, sed in qualitate, & ideo in 1. casu invalidum est matrimonium, validum in 2.

QUÆRES III:

4007. Paulus habens duas filias, obtulit unam ex illis indeterminatè Petro, cui pulchritudinem videre volenti, ostendit aliam tertiam puellam pulchram, non suam filiam: at Petrus non advertens ad eam, quam vidit, contraxit cum una ex filiabus Pauli, quam non vidit. An Matr. sit validum?

R Esp. esse validum. Tancr. cit. num. 18. quia consensus jam erat determinatus in unam ex filiabus Pauli, qui per ostensionem tertie puellæ non

fuit distractus à substantia personæ, sed à qualitate; non inquam à substantia personæ, quia hæc fuit factis determinata, ex hoc, quod fuit determinatus pater.

QUÆRES IV:

4008. Plebeus quidam Panormum petens, se finxit nepotem magni Ducis Etruriæ, cum fisione seduxit puellam nobilem ad contrahendum cum eo. An Matr. sit validum?

R Esp. Matrimonium esse invalidum. Tamb. lib. 8. tract. 1. cap. 2. §. 2. num. 4. quia talis puella attentis circumstantiis, non alia via cognovit illum, nisi sub consideratione, quod fuerit nepos magni Ducis, adeoque consensit directè in qualitatem, indirectè in personam, ad eujus novam noticiam venit, mediante nova notitia qualitatis; quando autem consensus contrahentis directè tendit in qualitatem, indirectè in personam præsentem, ita ut contrahens veniat in noticiam novam personæ, mediante nova notitia qualitatis, tunc error qualitatis redundat in errorem personæ. Sicut è converso, quando consensus contrahentis tendit directè in personam præsentem, & indirectè in qualitatem, tunc non redundat in errorem personæ; ut exemplificatum est in num. 4003.

4009. Hinc (ut bene ponderat Tamb. cit.) intentio contrahentis dupliciter potest se habere. 1. Ut sit sensus: Volo hunc, quem puto esse nepotem magni Ducis. 2. Ut sit sensus: Volo nepotem magni Ducis, quem puto esse hunc. 1. Modo error est in qualitate. 2. Modo error qualitatis redundat in substantiam. In nostro casu consensus puellæ nobilis non fuit in hunc præsentem, quem putabat esse nepotem magni Ducis, sed fuit in verum nepotem magni Ducis, quem putabat esse hunc.

QUÆRES V:

4010. Alia puella nobilis cognoscebat Joannem, quem sæpè viderat, deinde putans eum nepotem magni Ducis, ex eo errore ducta matrimonium contraxit. An validè?

R Esp. Matrimonium esse validum. Tancr. cit. num. 17. quia revera contraxit cum persona, quam cognoverat, & intendebat; nova autem notitia falsa est qualitatis.

4011. Vide discrimen inter hunc, & priorem casum; nam in illo cognitio qualitatis traxit in cognitionem personæ, & in eam sic apprehensam, voluntas suam consensum direxit, quæ cum non sit talis, error est personæ. In hoc verò cum persona sit prius cognita, cognitio qualitatis non traxit ad novam noticiam personæ, adeoque error est solius qualitatis.

QUÆRES VI:

4012. Petrus volens contrahere cum Catharina, ex errore contrahit cum Rosa, hunc expressè eliciens actum:

ducere hanc, etiam si scirem, hanc non esse Catharinam. An Matr. sit validum?

R Esp. Matrimonium esse invalidum. Tancr. cit. num. 3. quia consensus debet esse de presentis. Unde validum esset, si diceret: Duce te, quamvis sis Catharina.

QUÆRES VII:

4013. Paulus duas habet filias, dictas, unam Catharinam, alteram Rosam: Petrus cognoscens utranque quoad personas, errans tamen quoad nomen, petiit à Paulo Rosam, putans petere personam, quæ revera vocatur Catharina. Paulus autem ignorans errorem Petri quoad nomen, ex dolo, dum fieri debebat contractus, præsentavit Catharinam, cum qua Petrus contraxit. An Matr. sit validum?

R Esp. Matrim. esse validum. Tancr. cit. num. 9. quia quando constat de persona, error nominis est accidentalis. Et dolo Pauli est solum mentalis, nam illa presentatio externa Catharinæ est conformis intentioni Petri contrahentis.

QUÆRES VIII:

4014. Puella convenit cum Paulo habente plures filios nubere cum suo primogenito, postque conventionem moritur is primogenitus, puella ignorante, & remanet primogenitus alius frater, cum quo puella contrahit. An Matr. sit validum?

R Esp. Matrim. esse invalidum. Tancr. cit. num. 14. quia qualitas primogeniti, pro qua facta fuit conventio, designavit tunc personam individuum verè talem, sed distinctam; unde contrahens cum novo primogenito ignorans mutationem personæ, contrahit cum errore personæ.

QUÆRES IX:

4015. Unus ex filiis Pauli fingit, se esse unigenitum, quo errore ducta puella cum eo contrahit. Alter verò ex filiis ejusdem Pauli fingit alteri puella se esse primogenitum cum sit secundus. Quid?

R Esp. validum esse matrimonium in 1. casu, invalidum in 2. Tancr. cit. num. 19. quia in 1. cum non erretur in filiatione, sed in ratione unigeniti, non erratur in persona, sed in qualitate. In 2. qualitas primogeniti designat personam individuum ab illo distinctam.

2. CONditio.

4016. Sicut servilis unius personæ ignorantia ab altero libero dirimit matrimonium ex cap. Si quis liber. Sive ignorantia sit antec. sive concomitans, sive invincibilis, sive vincibilis, ut in num. 3998.

Nomine servi non veniunt famuli, qui alicui ob mercedem inserviunt. Nec Coloni originarii, vel ascititii sunt propriè servi, sed mancipia justo bello capta, licet aliis vendita, sed illi servi, quos potest dominus vendere, hi sunt verè servi. Christiani autem à Christianis bello justo capti ex præscripta

consuetudine non sunt servi, sed solum detinentur vulgò Prisoneris de Guerra.

4017. Validum est matrimonium liberi cum libertina, cum ea scilicet, quæ modo est libera, sed antea fuit serva; quia non servitus præterita, sed præsens ignorata dirimit.

4018. Serva ignorans suam servitutem, si bona fide contrahat cum libero pariter ignorante, invalidè contrahit; quia ex jure servitus præsens ignorata à libero matrimonio dirimit; unde bona fides solum eam excusat à mortali.

4019. Serva, que scit suam servitutem, ignorat tamen, eam esse impedimentum dirimens, ac proinde suam servitutem non manifestans libero illam ignoranti, cum eo contrahit, invalidè contrahit.

Ratio est, quia licet ignorantia culpe, aut pænæ excuset à culpa, aut pænâ; ignorantia formæ non excusat ab invaliditate actus, si forma deficiat, quoniam forma est de essentia actus. Impedimentum autem dirimens non est pænâ, sed se tenet ex parte formæ contractus: cum enim matrimonium sit contractus civilis, potest Legislator, & Princeps Ecclesiæ pro bono regimine Reipublicæ Christianæ aliquid addere, aut præscribere, quod se tenet ex parte formæ contractus; ita ut ejus defectus irritum reddat contractum, uti pariter potest Princeps quoad alios contractus civiles in suo Regno: hic ignorantia impedimenti dirimens non excusat ab invaliditate contractus matrimonii, quia impedimentum dirimens non est pænâ, sed defectus solemnitatis, seu conditionis irritantis se tenentis ex parte formæ contractus.

4020. Servus, vel serva cum libera, vel libero validè contrahunt, nolente domino. Scotus in 4. d. 36. quest. 1. lit. E. quia servus habet aliquid juris in corpore suo, non enim privavit se quacumque libertate, & ad quoscumque actus, & pro quanto corpus ejus est suum, potest commutare cum alio; quia si alius, sive servus, sive liber, velit esse contentus illa modica potestate, sive ad modicum usum, quem scit, eum posse dare, bene potest sibi præjudicare, & tener commutatio. Et infra lit. F. & sicut contrahunt, ita tenentur postea reddere debitum, pro quanto scilicet illi actus non impediunt à servitiis consuetis.

4021. Peccant tamen mortaliter, si licentiam non petant, nisi aliàs probabiliter timeant, quod impedirentur. Quod si licentiam non obtineant, tunc possunt validè, & licitè contrahere; quia Dominus non potest sine mortali matrimonio servis, nec ejus rationabilem, & moderatum usum prohibere.

4022. Servus conjugatus justus simul ab uxore ad reddendum debitum, & à domino ad aliquid negotium peragendum; si nuptis de consensu domini, tenetur potius satisfacere uxori, reddendo debitum, si verò nuptis, invito domino, tenetur potius satisfacere domino. Diana p. 7. tract. 7. ref. 38. Ratio pro utroque casu habetur ex Scoto cit. lit. E. & F. Pro-

primò; quia Dominus, dum consensit, celsi juri suo utendi servo in simili casu. Pro secundo; quia servi per actus proprios sine voluntate dominorum non possunt se facere liberiores, nec se à jure dominorum suorum magis eximere, quam prius.

4023. Eadem ratione peccat mortaliter dominus, si vendat, aut mittat servum in partes remotas, quo non potest uxor cum sequi, si matrimonium sit factum de voluntate domini. Non peccat autem, si servus contraxit sine consensu domini, & domino urgeat gravis necessitas mittendi, aut vendendi servum ad partes remotas; solum si nulla urgeat necessitas, peccat mortaliter, non contra justitiam, sed charitatem, quæ tamen non obligat cum notabili detrimento.

4024. Serva, si contrahat cum libero ignorante, opera domini, aut saltem sciente, & tacente Domino, sit libera ex jure in pœnam delicti, & favorem matrimonii: undè matrimonium est validum. Item serva sit libera, si ducatur in uxorem à domino, & è converso de servo. Insuper, si vir solutus, & nullo alio impedimento ligatus, qui videlicet non sit in Sacris, habuit ancillam in concubinam usque ad mortem, tunc si nihil de ancilla, & filiis ex ipsa habitis dixit, manent liberi ex jure, ad quod requiruntur duo, nempe quod turpis usus ancillæ non fuerit ante mortem dimissus, & quod filii non sint nati ex concubitu damnato, videlicet ex adulterio, aut sacrilegio, sed ex soluto cum soluta, ita ut dominus servam ducere potuisset in uxorem, si voluisset.

4025. Servus, qui contraxit cum serva ex errore putans esse liberam, valide contraxit. Scotus in 4. d. 36. quaest. 1. lit. F. nam error conditionis peioris impedit contrahendum, quia impedit commutatem recipere tantum, pro quanto intendit commutare, sed ignorantia melioris conditionis, vel æqualis non impedit propter contrariam rationem.

4026. Hac ratione, liber, qui contraxit, cum libera ex errore putans, eam esse servam, valide contraxit. Scotus ut supra, cum non invenit eam deterioris conditionis.

4027. Conjuges, qui invalidè contraxerunt ob servitutem ignoratam à libero, detecta servitute, si velint in matrimonio permanere, possunt illud ratificare per novum consensum; alioquin debent, tam à petendo, quam à reddendo debito abstinere, quia aliàs omnis copula erit fornicaria. Vide num. 4245.

De hac materia fusè agunt Diana p. 7. art. 7. Tancr. tom. 2. lib. 7. à disp. 19. ad 24. Leander tract. 9. disp. 11.

3. VOTUM

4028. Solemne castitatis emissum in Religionè approbata, aut in susceptione Ordinis Sacri, dirimit matrimonium. Similiter votum simplex castitatis Patrum Societatis, quod emitti solet elapso biennio, dirimit ex Motu proprio Greg. XIII. Vide infra de Ordine Sacro, à num. 4063.

4. COGNATIO

4029. EST triplex: naturalis, spiritalis, & legalis.

COGNATIO LEGALIS

4030. EST propinquitas personarum ex perfecta adoptione proveniens. Adoptio est personæ extraneæ in filium, aut in filiam, legitima assumptio. Quæ fieri debet autoritate publica, seu magistratus.

4031. Ejus sunt tres species, quæ matrimonium dirimunt. 1. In linea recta inter ipsum adoptantem, & adoptatum, hujusque solos filios carnales descendentes usque ad quartum gradum, qui tamen non reperiuntur emancipati, sed sub potestate ipsius adoptati, quando sit adoptio. 2. In linea collateralis inter ipsum adoptatum, & solos filios carnales adoptantis, qui pariter sunt in potestate adoptantis tempore adoptionis, & non ultra. 3. Inter adoptatum, & uxorem adoptati, atque inter adoptantem, & uxorem adoptati. Unde secunda, & tertia species non extenduntur ultra primum gradum. Hinc inter adoptantem, & parentes adoptati: similiter inter fratres adoptivos inter se, aut eorum filios nullum est impedimentum, quoniam nullum jus illud ponit.

COGNATIO SPIRITUALIS

4032. EST propinquitas inter aliquas personas ex regeneratione spiritali procedens, videlicet ex Baptismo, vel Confirmatione, non ex aliis Sacramentis. Hæc cognatio ex Trid. sess. 24. cap. 2. 1. Contrahitur à baptizato, vel confirmato cum baptizante, vel confirmante. 2. A baptizato, vel confirmato cum patris, vel matris, & hæc duæ cognationes dicuntur Paternas, & Filiales spiritalis. 3. A patrino, vel matris cum patre, & matre baptizati, vel confirmati. 4. A patre, & matre baptizati, vel confirmati cum ipso baptizante, vel confirmante; & hæc duæ posteriores dicuntur compaterinitas, & commaternalitas. Inter hos autem contrahitur, & dirimit, non ultra. Omnino Vide à num. 3008. ad 3013.

COGNATIO NATURALIS

4033. SEU carnalis, quæ consanguinitas dicitur, est vinculum personarum, quæ ab eodem stipite per carnalem propagationem descendunt. 3034. Stipes est persona illa, à qua aliæ personæ, de quarum cognatione tractatur, descendunt.

4035. Linea est ordinata hujusmodi personarum series. Est duplex. Recta est earum personarum, quarum una est ab alia, ut fratres, consobrini, &c. 4036. Transversalis est duplex: Æqualis personarum, quæ æqualiter distant à stipite, ut fratres, sorores, &c. & Inæqualis personarum, quæ inæqualiter distant à stipite, ut frater, & filius sororis, &c. Gradus denique est ipsa distantia, quæ inter personas, de quibus agitur intercedit. His præmissis,

Si-

IN LINEA RECTA,

4037. Sive ascendendum, sive descendendum tot sunt gradus, quot sunt personæ, seu quot sunt factæ generationes, dempto stipite. Sit SCHEMA LINEÆ RECTÆ.

- 4. Joannes abavus. 1. Jacobus proavus. 1. 2. Andreas avus. 1. 1. Paulus pater. 1. PETRUS STIPES. 1. 1. Paulus filius. 1. 2. Andreas nepos. 1. 3. Jacobus pronepos. 1. 4. Joannes abnepos.

Ubi Paulus est in 1. gradu conjunctus cum Petro, quia dempto ipso stipite, qui est Petrus, una persona remanet. Andreas in 2. quia Petro dempto, duæ personæ remanent, & sic de reliquis.

IN LINEA TRANSVERSALI IN DISTANTIA ÆQUALI

4038. TOT gradibus una persona distat ab alia, quot gradibus illa una distat à communi stipite, dempto stipite. Sit

SCHEMA LINEÆ TRANSVERSALIS. PETRUS STIPES.

- Paulus. Frater, & soror 1. gr. Rosa. 1. Andreas. Consobrini primi 2. gr. Anna. 1. Jacobus. Consobrini 2. 3. gr. Nimpha. 1. Joannes. Consobrini 3. 4. gr. Agatha. 1. Thomas. In nullo gradu. Ursula.

Hinc Paulus est conjunctus in 1. gradu cum Rosa, quia uno gradu distat à Petro patre.

IN LINEA TRANSVERSALI IN DISTANTIA INÆQUALI

4039. TOT gradibus una persona distat ab alia, quot gradibus persona illa, quæ est à stipite remotior, distat ab eodem stipite, dempto ipso stipite. Unde in præfato schemate lineæ transversalis Paulus in 2. gradu distat ab Anna, quia Anna, quæ est remotior à Petro stipite, duobus gradibus distat ab ipso stipite, dempto eodem stipite, sic descendendo; idem Paulus in 3. gradu distat à Nimpha, & in 4. ab Agatha.

4040. In linea autem transversali in distantia inæquali, quamvis sola distantia remotior gradum consanguinitatis constituat, in dispensationibus tamen pro matrimonii inter consanguineos contrahendis ex dispensatione Summorum Pontificum, maxime S. Pii V. considerari solet, & indè in memorialibus explicari etiam gradus proximior stipiti.

4041. Sic in eodem schemate lineæ transversalis Paulus dicitur primo gradu in secundo conjunctus cum Anna. Primo in tertio cum Nimpha. Primo in quarto cum Agatha. Denique primo gradu in quinto cum Ursula, & sic in nullo; quia extra quartum gradum nulla datur cognatio. Unde quantum gradus remotior est extra quartum, nec gradus proximior est exprimentus, nec dispensatio est necessaria, quia nulla habetur cognatio.

Similiter Andreas est secundo gradu in tertio conjunctus cum Nimpha. Secundo in quarto cum Agatha. Secundo in quinto cum Ursula, & sic in nullo. Jacobus est tertio in quarto conjunctus cum Agatha. Tertio in quinto cum Ursula, & sic in nullo. Joannes est quarto in quinto conjunctus cum Ursula, & sic in nullo. Demum Thomas in nullo est conjunctus cum filia Ursula. Quæ exemplificata, & dicta sunt de latere sinistro ad dextrum de viris ad feminas, pariter intelligenda veniunt de latere dextro ad sinisterum, & de feminis in ordine ad viros.


4042. Omnis igitur consanguinitatis gradus, sive lineæ transversalis, sive rectæ non extenditur ultra quartum gradum. Item solum primum gradum lineæ rectæ jure naturæ matrimonium dirimere, cæteros verò lineæ rectæ, & omnes lineæ transversalis jure solum Ecclesiastico dirimere, docent Leander de Matrim. tract. 9. disp. 13. §. 1. Tamb. tom. 2. lib. 8. tract. 2. cap. 5. §. 1. à num. 18. & alii.

CASUS:

4043. Petrus filius Anna habuit rem cum Catharina, ex qua genuit Franciscam, & Paulus filius dictæ Catharine habuit rem cum præfata Anna, ex qua genuit Joannem. An Joannes possit valide nubere cum Francisca?

Casus est singularis, non tamen metaphysicus, sed practicus, quoniam in quadam mundi parte contrahitur; pro faciliiori tamen intelligentia. Sit

FIGURA



Ccc

Ref-

4044. Respondeo negativè, quia inter Joannem, & Franciscam reperitur cognatio naturalis primo gradu in secundo, orta tamen ex uno tantum stipite, nempe ex parte solius matris, sed iterata ex parte matris alterius, taliter ut Joannes sit Patruus simul, & Nepos Franciscæ; & de converso Franciscæ sit Amita simul, & Neptis Joannis; Joannes quidem, quia est Filius Pauli fratris ex utero Franciscæ, est Nepos Franciscæ, & Franciscæ Amita Joannis: & de converso, quia Franciscæ est filia Petri fratris ex utero Joannis, est Neptis Joannis, & Joannes Patruus Franciscæ.

4045. Primo tamen in secundo, quia Joannes ratione filiationis est primo gradu conjunctus cum Anna, cum qua est etiam secundo gradu conjuncta Franciscæ, utpotè ejus Neptis, quatenus est filia ejus filii, Franciscæ etiam est filia Petri, qui est filius Annæ, & frater Joannis. Ita pariter ex alia parte Franciscæ ratione filiationis est primo gradu conjuncta cum Catharina, cum qua est etiam secundo gradu conjunctus Joannes, utpotè ejus Nepos, quatenus est filius ejus filii; Joannes enim est filius Pauli, qui est filius Catharinæ, & frater Franciscæ.

Et consequenter Franciscæ, & Joannes conjunguntur primo gradu in secundo cognationis naturalis, ac proinde non possunt inter se validè nubere.

5. CRIMEN

4046. **EST** quadruplex. 1. Homicidium alterius conjugis extrinsecè ab utroque conventum, etiam sine adulterio factum, tamen ad finem nubendi.

2. Adulterium ab utroque cognitum, cum homicidio, etiam non convento, facto tamen ab uno illorum ad finem nubendi, etiam altero ignaro.

3. Adulterium conventum cum pacto futuri matrimonii.

4. Si supposito matrimonio saltim rato cum una, committat adulterium cum alia, & insuper contrahat matrimonium cum illa per verba de presenti: dirimit, etiam mortua propria uxore, ita ut soluto ligamine, non possit illam ducere; unde hoc impedimentum est distinctum à ligamine.

4047. Impedimentum criminis est à jure impostum ad vitandum odium Sacramenti, & homicidium conjugis. At, si aliqua conditio ex præmissis deficiat, crimen non dirimit; quia sumus in odiosis.

QUÆRES I:

4048. *Petrus conjugatus solitus rem habere cum Berta, una vice sic eam allocutus: si moveretur mea uxor, te in uxorem ducere: evenit deinde casus, ut illa decesserit. An possit cum illa nubere?*

Resp. posse. Tancr. tom. 2. de Matrim. lib. 7. pag. 144. num. 7. ratio mea est; quia non habetur impedimentum criminis; nam locutio illa non fuit promissio, sed velleitas, ac simplex ostensio animi, & expressio amoris. Canones autem loquuntur ex-

pressè de promissione, adeoque, cum sumus in odiosis, extendi non habent ad simplicis animi, & amoris ostensionem.

4049. Similiter non incurrit impedimentum, si dicat: *si voluero te ducam*: quia promissio non est, quæ ad propriam voluntatem refertur.

QUÆRES II:

4050. *Petrus conjugatus promissit Berta, se eam ducturum in uxorem, mortua propria, & adulteravit: evenit casus, ut hac sit mortua, Petrus verò matrimonium contraxit, non cum Berta, sed cum alia, adhuc cum Berta adulterium sequens: deinde hæc secunda uxor decessit. An Petrus possit matrimonium intrare cum Berta?*

Resp. posse. Sylvestr. de Matrim. num. 8. vers. 5. §. Nono quartum. Alarius Canones censent. crimen. 52. quia cum stante promissione Petrus, mortua uxore, non Bertam, sed aliam duxit, promissio fuit retractata per actum facti, conficia Berta, & revera (humano modo loquendo) Petrus dicitur infidelis, & fregisse promissum. Ex communi autem sententia, promissio non debet esse, nec explicitè, nec tacitè revocata, sed duras.

6. CULTUS DISPARITAS,

4051. **S**EU Religionis dirimit inter baptismatum, & non baptismatum, ut inter Christianum, & Turcam; quia Baptismus est janua Sacramentorum. Infidelitas, si superveniat post matrimonium, non dirimit, licet possit esse causa divortii. Inter baptizatos autem, quorum alter est hæreticus, non dirimit, sed impedit ex Conc. Calcedonensi, can. 14. & cap. Decrevit, de Hæret. in 6. ubi matrimonia cum hæreticis prohibentur, & mulier privatur dote: unde persona catholica cum hæretica contrahens peccat mortaliter ob periculum discordiarum, & subversionis sui, aut prolis. Busemb. lib. 2. tract. 1. cap. dub. 3. num. 7. ait, in Germania licet ex gravi causa, salvo tamen jure naturali, & remoto periculo, tum contrahentis, tum prolis, unde de iis initio constituitur debet, ut catholice educentur.

4052. *Si ex conjugibus infidelibus unus convertatur ad fidem, altero in sua infidelitate remanente, remanet matrimonium, si conjux infidelis velit cum fidei cohabitare sine injuria Creatoris. Si verò conjux infidelis recedat physicè, videlicet, si non velit cum fidei cohabitare; vel si recedat moraliter, videlicet, si velit habitare, sed non sine injuria Creatoris, quatenus coram conjuge fidei Christum, & fidem blasphemam, eam tentat à fide divertere, vel prolem futuram fidelem non vult, & c. tunc matrimonium, etiamsi fuerit consummatum, dissolvitur quoad vinculum, ita ut conjux fidei possit ad aliud matrimonium cum Christiano transire, ante omnem sententiam, ex lege Christi in Privilegium fidei promulgata per D. Paulum 1. ad Cor. 7. Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituri, hoc est ligamini*

Imped. dirim. Cultus, disp. vis metus, ordo.

mini conjugali, *subiectus est frater, aut soror in hujusmodi.* Tamb. tom. 2. pag. 152. plura Tancr. tom. 2. de Matrim. lib. 7. disp. 34. Vide num. 4110.

QUÆRES:

4053. *Turca Panonici factus liber emit ancillam, quam deinde duxit in uxorem, quæ ancilla vult ad fidem converti, & quia vir non consentit, imò pretendit eam remansuram servam quid decidendum?*

Resp. respondeo cum Tancr. part. 2. tom. 5. tract. 5. q. 65. Si vir non velit cum ea habitare absque injuria Creatoris, tunc uxor non potest ab eo vendi; quia ex matrimonio cum libero, acquisivit libertatem, nedum ex jure positivo Gloss. in cap. Si quis ancillam, dist. 34. sed etiam naturali, nam cum conjuges fiant una caro, debet etiam inter illos fieri communicatio honoris, & sedis; & libertas semel concessa esse irrevocabilis. Eadem ratione non tenetur recompensare pretium; eo maxime, quia ipsa non est in culpa, quia præceptum Baptismi obligat omnes.

4054. Item eo ipso, quod uxor transit ad fidem, cogitur à præcepto Ecclesiæ, ut separetur à viro infideli, nolente converti ad fidem, atque cum ea habitare absque injuria Creatoris, unde potest ad aliud matrimonium cum Christiano transire; quia jam prius est redditum irritum.

7. VIS, ET METUS

4055. **E**ST duplex, cadens scilicet in virum constantem, & cadens in virum inconstantem. Metus cadens in virum constantem, seu metus gravis quatuor conditiones requirit. 1. Quod malum, quod timetur sit grave, ut n. 221. 2. Quod cum fundamento, & non leviter timeatur. 3. Quod, qui minatur, possit minas exequi. 4. Quod qui timet, non possit minantem resistere, aut vitare mala, quæ timet. His deficientibus, metus est levis, seu cadens in virum inconstantem.

4056. Nomine metus gravis venit metus reverentialis Superiori, aut Patri debitus, si est conjunctus cum rationabili timore, ne Superior, aut Pater rigidè, vel malè tractet filium, aut filiam. Vide à num. 1400.

4057. Ut metus gravis, seu cadens in virum constantem invalider contractum matrimonium, tres requiruntur conditiones. 1. Quod sit inessus à causa extrinseca libera, nempe ab alio homine. 2. Quod sit inessus ad finem extorquendum contractum matrimonium. 3. Quod sit inessus injustè.

4058. *Ex defectu prime, validum est matrimonium. 1. Si concubinariis metu inferni, vel mortis, in morbo, aut naufragio concubinam ducat. 2. Si quis à medico persuasus, non diu se victurum nisi ducta uxore, eam ducat. 3. Si in carcerem conjectus, spe evadendi, nubat cum filia lictoris; quia tunc non ab alio, sed à se ipso impellitur ad eligendum matrimonium tanquam medium sui boni animæ, aut corporis.*

4059. *Ex defectu secunda, validum est matrimonium. 1. Si quis ad mortem damnatus, ut evadat, nubat cum meretrice, aut alia, juxta statutum illius Regionis. 2. Si Princeps obessus offerat filiam in matrimonium obfidenti, ut obfidione liberetur. 3. Si raptor, aut deflorator virginis, metu mortis se offerat Judici, aut ejus consanguineis, eum occidere volentibus ad nubendum cum illa, & nubat; quia est metus ab intrinseco proveniens.*

4060. *Ex defectu tertie, validum est matrimonium. 1. Si Episcopus excommunicationem minetur alicui, ni ducat puellam, cum qua sponsalia contraxit. 2. Si Juxta cogat illum ad ducendam puellam, quam violavit. 3. Si quis deprehensus in crimine cum filia, minis afficiatur, quod accusaretur, nisi eam ducat. 4. Si puniendo ob homicidium probatum, promittatur impunitas, si ducat filiam, aut uxorem occisi; quia contrahenti non fit injuria, cum ipse dederit causam metus justè incutiendi. Imò ipse cogitur ad id, quod facere tenebatur; ac proinde metus potius videtur esse ab intrinseco, cum ipse ejus dederit causam. Vide à num. 1800.*

QUÆRES:

4061. *Puella nobilis propria symba tempestatis causa eversa, metu mortis contraxit per verba de presenti cum alio nauta, ut in ejus symbam reciperetur. An valide?*

Resp. validè. Ariselekin tom. 2. pag. 286. num. 9. quia metus fuit ab intrinseco inessus.

8. ORDO

4062. **S**ACER validè sumptus dirimit matrimonium post ipsum contractum, non solum ratione voti solemnem castitatis Ordini sacro annexi, sed etiam ex lege Ecclesiastica, quæ inhabilem ad contrahendum reddit ipsum ordinatum in sacris, directè ratione Ordinis sacri. Scotus in 4. d. 27. q. unic. lit. B. quia talis deputatur ministerio Sacro, quod requirit munditiam mentis, & carnis; quod magis conformatur Conc. Trid. sess. 24. can. 7. Hinc Ordo sacer est impedimentum distinctum à voto. Plura vide-re potes apud Tancr. de Matrim. tom. 2. tract. 7. disp. 25. ad 30. Tamb. tom. 3. lib. 7. cap. 3. §. 3.

4063. Utrumque solo Jure Ecclesiastico dirimit. Nam votum solemnè non dirimit ex natura rei, qua votum; alioquin votum simplex castitatis dirimeret; sed qua solemnè; solemnitas autem est authoritate Ecclesiæ inducitur. Bonifacius VIII. cap. unico, de voto in 6. & Greg. XIII. in Bulla Ascendente, dicunt, *solennitatem voti Ecclesiæ institutione esse introductam.* Item votum simplex Societatis solum cepit esse dirimens per Bullam Greg. XIII. Ascendente Domino, ante quam non dirimebat.

4064. Matrimonio autem inito, antequam consumetur, potest conjux Religionem ingredi, quia matrimonium tantum dissolvitur per professionem Religiosam.